



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

XXXIII. Alholfus

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

XXXII.
Conrad. I.

Fuerat Ecclesiæ majoris Præpositus, ut *Bertholdus*, Professus Fuldensis, devotus, sincerus, castus & liberalis. Svasu S. *Bernarti* eligitur, perpetuus socius itinerum *Lotharii* Imperatoris per *Galliam, Italiam, Germaniam, Campaniam & Apuliam*. AD. MCXXXVIII. montem S. *Petri* novis beneficiis auxit, & in ejusdem montis monasterio jacet mortuus AD. MCXL. Prælatu-
ræ V.

XXXIII.
Altholfus.

Seductus à Fratribus suis Germanis, durè nimis & non discretè tractavit suos, sed in sui interitum. AD. MCXLV. *Fulda* denuò combusta est, & fa-
mes secuta valida. AD. MCXLVIII. ex mandato Papæ *Eugenii*, Prælatu-
ræ VIII., depositus est.

XXXIV.
Rutger. I.

Considerans, quam grave & onerosum officium Prælati cura esset, ma-
nibus pedibusque id averſatus est, coactus tamen à Cæsare sic oportuit susci-
pere. In concilio *Rhemensi* à Papa *Eugenio* postea dimissionem Prælatu-
ræ primò annò obtinuit, & in monte B. *Virginis* ut privatus vixit, DEO &
saluti suæ incumbens.

XXXV.
Henricus II.

Abbas *Herosveltensis*. Quia fractas ollas non poterat reparare, aut
distracta, vendita, donata, & abalienata bona recuperare, & paupertatem
Fratrum ex voto sublevare, alius in ejus locum electus est ex Monacho-
rum monte *Papenberg* AD. MCLX, Prælatu-
ræ II.

XXXVI.
*Marcwart-
us I.*

Erat Monachus S. *Michaelis* in *Papenberg*; multa fecit ex usu. (x)
Capellam B. *Virginis* versùs orientem instauravit, columnas, quæ portant
turrim chori in basilica exstruxit, & turres campanarum, castrum *Hasel-
stein* cepit armatus, oppidum *Fulde* mœnibus cinxit, ei que jura civitatis
procuravit, fontem prope id fieri fecit, cisternam in hortum *Xenodo-
chii* magnam posuit, & quæ sunt alia. Vixit ferè per annum in curia
Friderici Imperatoris, fessus tandem & enervatus resignat anno Præla-
turæ XV. Reliquum tempus consumsit in Præpositura *novi montis*, ubi
moritur AD. MCLXIV. Jacet *Fuldæ*.

XXXVII.
*Hermann-
nus I.*

Professus *Herosveltensis*. In schismate *Friderico* Imperatori tenaciter
adhæsit contra *Alexandrum* Papam, in curia in *Würceburg* AD. MCLXV.
partes

(x) Vid. Fabric. l. c. p. 124.